QVÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ sextâ Februarii. 1708.

M. FRANCISCO AIGNAN, Doctore Medico, Præside.

An hystericis affectibus acria?

I.

HOMINIS vita, cæterorum viventium more, peragitur motu. Liquidorum cum solidis symmetria stabilis vigentisque motûs seu vitæ adstruit fundamenta. Verùm, ut ut sit corporis miranda fabrica, à statu facilè dimovetur. Fluxilium partium jactura alimentis tam diversis reparanda, cæli inclementia, tempestatum vicissitudines, animi motus, excernenda & retinenda ultra modum, corpus perpetuò lacessunt. Sive tot hostium insultus primariò adoriantur solida; sive primo impetu liquida oppugnent, toti suam inurunt corpori labem, hinc pervertuntur, minuuntur, abolenturve functiones, prout mali major minorve fuerit copia, vel qualitas. Quæ aptiora motui, corruptioni obnoxia magis: malum igitur delitescens, apertumve ex humorum penu eruere non ineptè contendit medicus. Plurimi tum à veteribus cùm à neotericis decantantur humores, variis nominibus ut & usibus illustrati. è sanguinis alveo erumpunt omnes, ita ut quo hujus purior fuerit crasis, illorum & erit minor copia, eritque mitior indoles. Sanguinem humorem rubicundum intelligunt, qui omissis chymicorum principiis, duabus maximè & conspicuis partibus coalescit, aliâ grumosâ, serosâ alterâ. Illa oleosis præsertim resultat particulis, quæ spirituum vel materiæ æthereæ adjumento in orbem motæ, rubedinem effingunt; hæc aquea ut potè grumosæ viam sternit & parat, ejusque vehiculum evadit: Limpida, salis marini saporem vulgò; at cum salibus solvendis sit idonea, alios ut plurimùm edit, multorumque simul & gravium à statu degener in suo sinu morborum fovet semina. Ubi igitur suam dimisit naturam serum, redintegret medicus, si irruentem avertere morbum intendat, inustaque ante damna velit reparare. Id omne assequetur acrium operâ, quæ non solùm serosam illuviem valent emendare, verùm & foras abigere.

II.

CORPORIS excrementa, etsi ex eodem fonte emergant, varios tamen facilesque sibi quærunt exitus. Pro motu & figurâ

quodlibet ſuam init viam & egreſſum. Cordis & arteriarum pulſatio; membranarum & muſculorum compreſſio; liquidorum natura excretioni dant locum & anſam. Donec mutuam hanc nativamque ſibi præſtant operam, excrementorum debita fit profuſio, ſuique compos beatè degit animal. Verùm in liquidis tot tamque diverſæ indolis diluta ſalia illam ocyùs ſeriùſve peſſundant œconomiam. Alimenta ventriculo infenſa chyloſeos depravatæ in ipſomet ventre rudimenta juduunt, nullibi dehinc emendanda. Saliaqueis reſorbetur, partes lentas quibus irretitur chylus ad ſanguinis alveum invehit: tum ſibi natum quæque pars in ſe ſe recipit. Oleoſa miſcentur oleoſis & adunantur; ſalina ſalinis dant hoſpitium, ſeroſa aquea ineunt. Sulphurea ſanguini miſcentur cujus apprimè naturam redolent. Seroſæ, ſalinæ, crudæ parteſque viſcidæ ſerum ſanguinis adeunt hujuſque corruptelam & colluviem procreant. Huic malo medebitur qui legitimè acria uſurpabit, ſuis enim quibus reſultant partibus, ſeroſi laticis vitium appoſitè valent emendare. Alkalinum ſal cujus acre fit particeps acidi infringendo acumina, energiam præpedit, progreſſuſque ſtitit jam inceptos. Spiritus ſive partes volatiles ideòque penetrantes partium viſciditatem & lentorem, pro perniciſſimo quo vigent motu, atterunt, fluxilitatem debitam impertiunt, minoremque ſic ſolidis reſiſtentiam & obicem opponunt; unde & ſolidorum elater quem ſalis acris pars actuoſa adigit, per loca idonea excernenda pellit, ſerique vitiata craſis ſuam recuperat diatheſin.

III.

MORBI queis angitur corpus tot numero tamque variâ & abſimili ſeſe formâ ſenſibus objiciunt, ut in ægrotantium diſcrimen medentes fallant incautos. Quem ſemel invadit in medendo error, is non facilè, non impunè ſemper morbi progreſſus ſeriùs coercitos ſiſtit. Hujus veritatis conſcius, ſymptomatum primo intuitu non affatim de morbo pronuntiat. Effectuum tam mobilium latentem inveſtigat cauſam. Idiopathicam & ſymphaticam quid idem autumari piaculum & periculum medicorum nemo neſcit, nec non illam hujus eſſe parentem, quæ, ut abſoluta ſit & ſecura medicatio, primò auferenda. Ut diverſæ indolis & naturæ non raro ſunt morborum cauſæ, item tollendi modus & ratio diverſa. Plethoram ſolvit venæ ſectio; cacochymiam expedit purgatio. Priùs igitur ſit noviſſe cauſam, quàm morbi aggredi curationem, aliàs ſi non in felici & adverſo, dubio ſaltem marte dimicabitur. Qui ſymptomata æquivoca promit morbus, cauſam ſui celat imprudentem, & quò plures corporis partes afficiet, eò faciliùs in errorem rapiet medicum, ſymptomata varia varioſque proferens effectus. Sed ea liquorum varietas nullum ei fucum faciet quem penes erit ſolidorum ſtructura & uſus, nec non liquidorum natura & motus. Quæ ſi meden-

tem fugiant, ad morbum velut ad ſcopulos pavidus temerariuſve adibit. Non mirum hinc quod hyſtericorum affectuum cauſa & origo tam multos lateat. Symptomatum ſyndrome, morborum ſimul ilias, irruentis mali diverſitas, tam in partibus, quàm in afficiendi modo non omnibus ſui cauſam aperit, ſed ſi liquida & ſolida probè noveris, illam in ſeroſà illuvie nervos obſidente attentus animadvertes.

IV.

VETERES de affectibus hyſtericis occupavit error, ſemen retentum, ipſave menſtrua in uteri lacunis, corruptaque inibi autumantes. Muliebris ſexus eo ſæpiſſimè morbo correptus in ſuis illos firmabat præjudiciis. Neoteriorum quidam in viris ac in mulieribus eoſdem ſuſpicati affectus, bilem & ſuccum pancreaticum contaminata accuſant: utrumque liquorem in inteſtino coeuntem, pro ſuo vitio contra naturæ votum fermentationem accelerare contendunt, cujus omnes quos deprehendimus motus convulſivi, effectus neceſſarios concludunt. Qualia utriuſque opinionis fuerint argumenta, veram nullatenùs offendunt cauſam. Id morborum agmen varios induit vultus. Apoplexiam aliquando, Epilepſiam ſæpiùs mentitur. In imo ventre rugitus, abdominis inſtar tympani diſtenſio ſubitaque & ima depreſſio. Circa xyphoiden obtuſus dolor; ad diaphragma circulus & conſtrictio; cordis micatio exigua, pulſus nullus, in faucibus ſenſus glomeris & quaſi ſtrangulatus, viſùs depravatio, in auribus tinnitus, ſuſurri, ſibilli. Capitis dolor & diſtenſio horum affectuum, pro eo quo ſæviunt gradu & periodo, ſunt legitima ſoboles. Nervos per corpus diffuſos contaminatum impetit & aggreditur ſerum, ſive poros permeans, ſeu ab ipſorum ortu canalem juxta diffluens cavitatem adimplet, diametrum adauget & extendit. Latitudo aucta longitudinem imminuit breviorem que efficit eâ proportione qua extenſus diameter: hinc nerui partem extimam ad intimam ſeu originem retrahi fit neceſſum, partis ideò quam init nervus ad punctum fixum cerebrum nempe fieri debet reductio; ſpiritus verò pro mole injectà in viis quas ipſos perluſtrare decet directè & per irradiationem emitti nequaquam valent, at imò pro ſua mobilitate in obicem impingentes ad cerebrum turbatim & præcipitès remeant, unde tremor motuſque convulſivi cientur, nullaque horum fit remiſſio donec ſeroſa labes aliò confugerit.

V.

MULIERES hyſtericis torminibus qui vel ſolvere vel præcavere cogitat, omnem conferat operam ut luxarians & infarctum ſerum expediat & eliminet. Exercitium id obire munus non impar, quod ratio aſſerit, & experientia confirmat. Ruſticæ in laborum præmium hiſce malis intactæ vitam protrahunt, ſanguis enim pro motu

factus vividior, suis recrementis se se liberat diaphoreseos liberalis beneficio. Deliciis nimiùm sibi blandientis gulæ mulier non obtemperet. Ciborum ingurgitatio nunquam ventriculum gravet & offendat. Animi mœrorem hilaritate fuget sanitatis tuendæ vel restituendæ studiosa. At quæ jam hystericos insultus expertæ, non modo his se se adstringant legibus, quas infringere nefas; verùm & medicamenta frequenter advocent quæ sanguinem sero viscido, acido, crudo frigidove & luxurianti valeant expedire. Hæc adimplent è metallis ferrum, acidorum vim obtundens: è mineralibus sal ammoniacum, succinum: inter vegetabilia pulegium, sabina, centaurium minus, absynthium & alia; myrrha caphura; ex animalibus castoreum, quæque ex his omnibus parantur. Vigente vel ineunte paroxysmo, sanguinis missio è brachio, pede, jugulari præsens sæpe habetur remedium, sanguinis utpotè copiam detrahens, solidis tensis nimiùm elaterem restituit; hinc in serum facilis actio, hujusque vel per sudorem, ptyalismum, diaphoresin, urinasve secretio. Vomitoria prudenter ingesta nervos ventriculi excutiendo, diaphragma partesque subjectas & vicinas sollicitando, paroxysmi non raro solutionem accelerant. Verùm cujuscumque sint auxilii, ad alia causam amoturus confugias. Illuviem respice serosam prima mali semina ministrantem.

Ergò hystericis affectibus acria.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Herment, Medicus Regis ordinarius & Scholarum Profe or.	*M. Jacobus Fourneau.*	*M. Nicolaus Bailly.*
M. Stephanus Geoffroy, Regia scientiarum Academia Parisiensis, regiaque societatis Londinensis socius.	*M. Ludovicus Franciscus Dutal.*	*M. Franciscus Picoté de Beléstre.*
M. Franciscus Aignan, Præses.	*M. Michaël Ludovicus Reneaume de la Garanne, è Regiâ scientiarum Academiâ.*	*M. Michaël Pichonnat.*

Proponebat Parisiis FRANCISCUS POUSSE, Cenomanus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1708.

Typis Viduæ Francisci Muguet, Regis & Facult. Medecinæ Typographi.